

***Acta Tribunalium Sanctae Sedis.
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal.
Decreto, 25 mayo 2012.***

Prot. n. 45703/11 CA
Nominationis Commissariae Apostolicae
(Rev.da A. – Congregatio pro Institutis
vitae consecratae et Societatibus vitae
apostolicae)

DECRETUM

Congregatio pro Institutis vitae conse-
cratae et Societatibus vitae apostolicae
decreto diei 14 martii 2011 Rev.dae
B., sodali Congregationis X, officium
Commissariae Apostolicae Instituti Y
ad triennium contulit.

Die 6 aprilis 2011 Antistita generalis
[Instituti Y], Rev.da A., simul cum Se-
cretaria generali et quattuor membris
Consilii generalis, a praefata Congre-
gatione revocationem decreti expetiit,

quae petitio die 2 iunii 2011 reiecta est.

Qua decisione recepta, eadem Recurrentes die 19 iunii 2011 ad H.S.T. provocaverunt.

Petitis ac receptis actis causae pro examine praeliminari, Exc.mus H.S.T. Secretarius die 19 octobris 2011 recursum in limine reiecit.

Quo decreto die 28 octobris 2011 notificato, Rev.da A. die 3 novembris 2011, scilicet intra terminum peremptorium decem dierum, recursum ad Em.mum H.S.T. Praefectum interposuit.

Re tandem aliquando rite discussa inter Cl.mas partium Patronas et Rev.dum Promotorem Iustitiae Substitutum,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod:

- Extra dubium stat valde incerta futura condicio Instituti propter imminutum numerum sororum earumque propectam aetatem;
- Nominatio Commissariae non requirit consensum Supremae Moderatricis eiusve Consilii;

Ad assertas violationes legis in decernendo perpenso quod:

- Iusta autonomia institutorum religiosorum eadem minime subtrahit Sedis Apostolicae auctoritati, cui "peculiari ratione subduntur" (can. 590, § 1);

- Sedes Apostolica ad normam art. 108, § 1 Const. Ap. *Pastor bonus* ope Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae auctoritatem exercet, curans ut instituta finem proprium fideliter persequantur (cf. art. 107);

- Nominatio Commissarii Pontificii pro aliquo instituto religioso ob iustam et proportionatam causam, iuxta H.S.T. iurisprudentiam, ad media pertinet, quibus Congregatio illud munus absolvit (cf. Decretum coram Em.mo Praefecto, d. 22 iun. 2006, prot. n. 37437/05 CA; Decretum Exc.mi Secretarii, d. 7 oct. 2010, prot. n. 44309/10 CA);

- Ratio in decreto nominationis Commissariae adducta, nempe quod, non obstantibus indicationibus ab Exc.mo Adsistente Apostolico datis, nonnulla emendanda manebant, ex actis probatur et congrua habenda est;

- Munus Commissariae non est definitivum, sed iam mense martio 2014 exspirabit et motiva, quibus suffultum est, a Congregatione denuo ponderanda erunt;

- Iusta de causa, Congregatio mandatum Commissariae etiam antea revocare et alio modo de moderamine instituti providere potest;

Cum igitur in casu defectus iustae et proportionatae rationis pro constitutione Commissariae Apostolicae haud probetur;

Ad assertas violationes legis in procedendo considerato quod Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae ante nominationem Commissariae Apostolicae:

- Receptis notiis de difficultatibus internis Instituti, die 6 iunii 2007 Visitatorem Apostolicum nominavit;

- Visitatione rite peracta et ampla relatione attente examinata decreto diei 15 octobris 2007 Adsistentem Apostolicum ad triennium nominavit et petitionem novae audientiae, motivis adductis, praehabita disceptatione in Congressu, die 17 ianuarii 2008 reiecit;

- Sive ab Exc.mo Adsistente Apostolico sive ab Em.mo Archiepiscopo N. pluries de statu Instituti edocta est;

- Rev.dae Antistitae generali amplam facultatem praebuit pluribus epistolis necnon transmissione processuum verbalium Consilii generalis, ab omni-

bus membris consilii subscriptorum, mentem suam patefaciendi;

- Praehabita disceptatione in Congressu diei 27 maii 2011 decreto diei 2 iunii 2011 petitionem revocationis reiecit;

Cum, rebus sic stantibus, in casu, non habeatur ullum indicium de violatione legis in procedendo;

Animadverso quod ad H.S.T. non pertinet de opportunitate nominationis Rev.dae B. iudicare;

Pro comperto denique habito quod nec Consilium Instituti nec Superiorissae singulorum domorum destituta sunt;

Cum in casu ergo nullum par adducatur argumentum ad rationes motivas in praefato decreto Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 19 octobris 2011 submovendas;

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 25 maii 2012 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Confirmandum esse et facto confirmari decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii, quo die 19 octobris 2011 in limine recursus reiciebatur, utpote quovis fundamento carens.

Cautio pro expensis in arca huius Supremi Tribunalis deposita retinetur. Partes suae quaeque Patronae congruum solvant honorarium.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 25 maii 2012

Raimundus Leo Card. BURKE,
Praefectus

+ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.,
Secretarius